



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. Quae peccata exutiant gratiam Dei & Spiritussancti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

pitur, sed interior renouatur. & ad Colosæn. 3. Indui-  
te nouum hominem, qui renouatur &c. ad Corinth. 2. Cor. 3.  
In eadem imaginem transformamur à gloria in glo-  
riam.

Peccata quæ excutiunt fidem, gratiam, & Spiri-  
tum sanctum, sunt quandò non repugnat concu-  
piscientiæ, sed potius obtemperatur vitiosis affecti-  
bus cōtra conscientiam, & illa peccata fiunt morta-  
lia, id est, propter quæ illi qui fuerant iusti, amittunt  
fidem & Spiritum sanctum, & propter quæ fiunt rei  
mortis æternæ, sicut Paulus ait 1. Corint 6. Fornica-  
tores, adulteri, homicidæ, &c. non possidebunt re-  
gnum D E I. Ephes. 5. Hoc autem scitote, quod omnis  
immundus aut avarus, quod est idolorum seritus,  
quia is non confidit D E O, sed aliud idolum, id est,  
pecuniam sibi statuit pro D E O qui enutriat, &c.  
Maledici &c. Roman. 8. Si secundūm carnem vixe-  
ritis, moriemini. Galat. 5. Manifesta sunt opera car-  
nis, quæ sunt fornicatio, immunditia, inimicitiæ,  
contentiones, sectæ, comedationes, homicidia, ebrie-  
tates, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædi-  
xi, quoniam qui talia agunt, regnum D E I nō possi-  
debunt. Ita peccata sunt externæ actiones flagito-  
re, quæ è carnis concupiscentia ebulliunt, si illis non  
resistitur. Et tales omnes amittunt gratiam, fidem  
& Spiritum sanctum. Fidem, quæ est fiducia miseri-  
cordiæ consequendæ propter C H R I S T V M. Sed  
hec misericordia nō sequitur interim, q̄ quis perse-  
uerat in peccato: repugnant enim misericordia Dei,  
& complacentia peccati. Ideo inquit David Psalm.  
50. Peccatum meum contra me est semper. Gratiam,  
id est, fauorem Dei excutiunt. Psalm. 33. Vultus Do-  
mini super facientes mala, vt pereat de terra memo-  
ria illorum. Postremò spiritum sanctum, qui datur ut  
adiuuet nostram infirmitatem, Rom. 6. Sed cum ho-  
mo non velit pugnare contra vitia, sed consentit, fit

vt Spiritus sanctus fugetur Eph. 4. Nolite contristare Spiritum sanctum. Hoc utinam ponderarent carnales Euangelici, qui nullum fore putat peccatum, nisi infidelitatis. Est enim infidelitas arbor, cuius fructus sunt hæc vitia: igitur ex fructibus arbor cognoscitur, Matth. 7. Vbi ergo vitia regnant, signum est quod ibi fides non sit: nam talia flagitia non consistunt cum fide: at ubi fides non est, ibi nec gratia Dei, nec Spiritus sanctus sit oportet. Inanis ergo fiducia illa est siue fides, quæ non cessat à vitijs. Talem fidem habuerunt filii Israël in deserto peccantes, & prostrati sunt, Numer. 26. Sic Sodomitæ & Gomorritæ videbantur quidem credere in Deum, sed opera illorum ostendebant fidem illorum qualis fuerit, Genes. 19. Sic est fides malorum Christianorum. Omnes dicunt, credo in CHRISTVM: sed vita & opera illorum testantur, qualis fuerit fides illorum Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, &c. grauius enim iij habebunt in pœnis, excutientes iterum gratiam, fidem & Spiritum sanctum, quam si nunquam venissent ad regnum CHRISTI, sicut dicit Petrus 2. Petri secundo, & Iudas in epistola sua, & ita Matth. 11. Christus de ciuitatibus quibusdam loquitur. Ideo Apostoli summa cura docuerunt, ut acceptam gratiam non denuò excutiamus, aut in vacuum recipiamus, 2. Corinth. 6. Sed potius prijs operibus retineamus, in vigilijs, ieunijs, laboribus, tribulationibus, castitate & charitate, &c. Heb. 9. Quanto magis sanguis Christi &c. ad seruendum DEO viuenti? & 1. Pet. 2. peccatis mortui, iustitiae viuamus, &c. Semper enim scriptura, postquam docuit quomodo accepimus gratiam iustificationis, admonet & docet, quomodo retineamus ne iterum excutiamus illam atque spiritum sanctum. Nam hoc est gravissimum peccatum: ideo petit David, spiritum sanctum tuum ne auferas à me.]

Psal. 50:

Pro-